VIRO FORTISSIMO HUMANISSIMO DOCTISSIMO

GUILELMO ERLERO

ZÜLLICHOVIENSI

GYMNASII ZÜLLICHOVIENSIS PRAECEPTORI SUPREMO, LIBERALIUM ARTIUM DOCTORI, PROFESSORI, EQUITI P. P.

AO. MDCCCXCI KAL. APR.

MUNERIS SUSCEPTI SOLLEMNIA SEMISÆCULARIA CELEBRANTI
PIO GRATOQUE ANIMO GRATULATUR

Dr. OTTO TSCHIERSCH

DIRECTOR GYMNASII COSTRINENSIS.

COSTRINI
TYPIS EXPRESSIT C. NIGMANN (F. KOENIG.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Q. B. F. F. Q. S.

Quod Deus omnipotens statuit contingere paucis
Id factum Tibi volt, optime terricolum,
Ut fungi posses animoque et corpore salvus
Jam per lustra decem muneris officiis.
Quod frustra cupiunt hominum sibi milia multa,
Hoc uni tibi nunc attribuit Dominus
Obtrudi immeritis fortunae dona queruntur
Et sortes hominum Forte regi domina.
At quis Te talem spectans non cernit apertam
Agnoscitque palam justitiam Domini?
Quae natura Tibi nato bona suppeditarat,
Auxisti studiis auxiliante Deo.
Gratia nunc Domini sequitur studia atque labores,
Gnavo quos animo sponte Tibi imperitas,
Quos sicut juveni quondam mandare solebas,
Ultro nunc etiam suscipis ipse senex.
Quis juveni Tibi par opera atque labore ferendo?
Quid non vicisti strenuitate Tua?
Qui tam multa tulit, fecit, sudavit et alsit,
Is vere dignus, praemia qui capiat,
Qui possit senii cursu contingere metam
Et clarum specimen civibus emineat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Praeturas alii sibi procurent et honores,
Conquirant alii divitias et opes:
Quod verum atque decens Tu quaeris et omnis in hoc es,
Virtutis verae deditus officiis.
Te pietas, his temporibus rarissima virtus,
Atque fides ornat religiosa Dei,
Te probitas decorat, Tua Te constantia morum
Civibus insignem reddit et eximium.
Tu nutris orbos, inopes solaris et aegros,
Omne bonum praestas ambitione procul.
Quot maestis Tu praesidium columenque fuisti,
Quotque Tuum miseris adfuit auxilium!
Tu vere sequeris, Dominus quod praecipit olim,
Ut ne laeva sciat, dextera quid faciat
Jam Tua tota domus floret virtutibus isdem,
Conjux et natus filiolaeque simul,
Tota domus sancta morum integritate renidet
Simplex munditiis atque pudicitia.
O utinam multis imitandos Teque Tuosque
Ut specimen libeat proposuisse sibi.
Sed sollers animus virtusque probata magistri
Non hominis cedit laudibus egregii.
Multos doctores per vitae tempora novi,
Multorum mentes et varia ingenia:
Virtutes aliis alias natura negavit
Atque aliis alius decipitur vitiis.
Tu vero species quaedam perfecta magistri
Miraque jam nobis visus eras pueris.
Quamquam terrores Tua cordibus incutiebat
Ferrea vox et frons seria perpetuo,
Nescibat tamen ex agili nostro grege nemo,
In nos, si quemquam, Te bene promeritum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nam pueris Tu non effundere verba solebas
Aut variis animos ducere deliciis,
Tu faciebas, ut vix affectare nequiret
Res sibi propositas manca cohors studii.
Nam gravitas Tua cogebat lentissima quaeque
Ingenia, attentum pectus habere Tibi.
Si nollent — quis Te potior compellere tardos
Atque leves stimulos addere pigritiae?
Quid quod saepe Tua factum est ratione docendi,
Ut se posse aliquid crederet et stupidus?
Multa quidem multi tunc neglexere scholares,
At didicere suam quisque mathematicam.
Ipse ego, cui multum delabens abstulit aetas,
Servavi memori mente mathematicam.
Tu quoniam puerum docuisti lumina caeli
Nominaque a doctis indita sideribus,
Nunc etiam soleo stellas spectare micantes
Mirans et mecum nomina commemorans.
Nam quaecunque tenent ex te percepta scholares,
Ingeniis penitus fixa manere solent.
Hanc Tibi gratiam habent omnes, quîs contigit olim
Ut per Te possent artibus institui.
Teque imitando nunc sum factus et ipse magister,
Non Tibi par, similis sed fieri cupiens.
Ante oculos Tua nunc etiam versatur imago,
Robur inexhaustum curaque mane vigil,
Sedulitas nunquam cessans animusque fidelis
Semper, et in magnis rebus et in minimis.
Sed quam praeclare ratio Tua discipulorum
Formarit mentes altius ad studium,
Innumeri id testantur ei, per tempora vitae
Qui Tecum voluere esse mathematici.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Scilicet hac aetate tamen si rara juventus
Euclidis gestit tradere se studiis,
Nec mirum neque causa latet: schola quippe realis
Expulit ex genere hoc gymnasii subolem.
Sed Tua laus vel praecipua virtute careret,
Doctrinae nollem si memorare decus.
Saepe mathematicam multi sunt ante reperti,
Qui parvi facerent ac prope pro nihilo,
Doctis indoctis haec ars ipsisque scholarum
Magnis principibus nullo in honore fuit.
Sollicitis certaminibus Tibi contigit uni,
Cederet ut tandem prava superstitio.
Tu persuasisti praetori principibusque
Atque aliis quisquis cernere vera potest,
Ut nihil utilius, sic nil magis esse necesse
Formandis pueris arte mathematica.
Hoc Tecum gaudet sociorum turba minorum
Gratiam habens animo consilioque ducis.
Quid vero? Tua praeteream num scripta librosque
Quîs artemque probas ingeniique aciem?
Per longos annos suavissimus iste libellus
Instituit prolem gymnasii physica.
Qui porro libros possum numerare ego, quos Tu
Commentatus es ex arte Tibi propria,
Quîs juvenem informas, sociorum scripta recenses,
Praeceptisque novis pectora nostra doces?
Quae directorum collegia constituerunt,
In breve Tu cogis, gratum opus atque novum,
Denique doctorum conventus teutonicorum
Affatu vocis vix caruere Tuae.
Singula quid memorem? Qui possum cuncta referre
Quae tu praestiteris pro patria atque Deo?

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nec dubito quin, si passim praesente fruar Te,
Laudibus hisce Tuis addere multa queam.
Sed mihi, posteaquam schola me dimisit alumnum,
Vix spectare Tuam ter licuit faciem.
Unde fit, ut quamvis meditans ego nullus adaequem
Te laudesque Tuas et decorum omne genus.
Praeterea jamjam mea Musa scholastica languet,
Tranquille per humum repere sueta magis,
Quam premere alipedem cursuque volare citato
Horroremque sacrum cordibus injicere.
Nos versus facimus, non nitimur esse poetae
Indigni tanto nomine tamque gravi.
Nam Venusini dum sequimur vestigia vatis,
Verba fluunt ultro, spiritus ille deest.
Jam pudor ipse vetat noster nos plura profari
Et laudes culpa deterere ingenii.
Ergo jam satis est. Tu vero vive valeque
Pergat tutari Te Deus omnipotens.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf